

QUÆST. 13. Possumus ne ipsi per nos
satisfacere?

RESP. *Nulla ex parte: quin etiam debitum in singu-
los dies augemus.*

QUÆST. 14. Potestne ulla creaturarum in
cœlo vel in terra pro nobis satisfacere?

RESP. *Nulla: Nam principio non vult Deus, quod
homo peccavit, id in ulla alia creatura plectere.
Deinde nec potest quidem, quod nihil nisi crea-
tura sit, iram Dei adversus peccatum sustinere,
& alios ab ea liberare.*

QUÆST. 15. Qualis ergo quærendus est
Mediator & liberator?

RESP. *Qui verus quidem homo sit ac perfecte justus:
& tamen omnibus creaturis potentior, hoc est
qui simul etiam sit verus Deus.*

Hucusque puras putas ferè querimonias au-
divimus, de peccato, ejusque gravitate; de
pœna peccati & horrenda Dei maledi-
ctione, &c.

Tanta hæc est miseria, ut si Dei verbum so-
lacio nos destitueret efficace; pereun-
dum nobis esset: ut de se ipse psalmo-
graphus testatur, Psal. 119, 92.

Agnitio enim peccati sine salutari solacio,
non nisi desperationem instillat: ut de
Caino Achitoph. Saule Juda, &c.
commemorat scriptura.

Agni-